

quoque effectuum, ob summam, qua pollet, & subtilitatem & celeritatem causa existit.

§. VII. Sal neutrum dicitur illud, in quo Sal acidum & alcali dominantur, & ita sese contemperant, ut illud aptum reddatur, neutram, seu ab acrimonia & aciditate distinctam sensationem, Salsedinem dictam, producere. Unde fit, ut falsum, sive neutrum Sal nuncupari soleat. Hujus generis est Sal commune, Sal marinum, Nitrum, Ammoniacale &c.

Quid Sal neutrum.

§. VIII. Per Sal volatile denotamus tale Sal, quod constat particulis in superficies ac moleculas minutissimas divisis: Quo enim quid subtilius est, eo magis divisum. Hinc minima ætheris agitatione in igne vel aëre calido in altum elevatur & avolat. Estque illud vel alcalinum seu urinosum & potissimum reperitur in regno animalium, quod salium volatilium fecundissimum est: vel acidum, quale est in ipso aceto destillato, Spiritu viridis æris, Spiritu nitri. Fixum Sal dicitur, quod habet particulas minus subtiles, & divisas, sed magis crassas, ut sive vorticoso ætheris solaris circa globum nostrum terrestrem motu, sive ignis nostri usualis vi in aërem difficile vel plane non rapiatur. Hujus generis Salia dicuntur alcalia, & extrahuntur ex combustis vegetabilibus.

Quid Sal volatile; quid fixum; & illius divisio

§. IX. Tradito sic generali ac formali conceptu Salium, qui pro definitione sufficere potest, recensitisque præcipuis eorum speciebus, ulterius in ipsorum varietates, & species elementaque inquiramus necesse est. Animadvertimus autem Species Salis commode distingui posse in Sal naturale & artificiale seu factitium. Naturale est, quod ordinario naturæ cursu,

Divisio Salium in naturalia & artificialia, horumque subdivisio.

B

nul-